





12094.

58<sup>th</sup>

1736, 18.

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
D. IOHANNES FLORENS  
RIVINVS  
P. P. ET ACAD. p. t. RECTOR.

je d. Gott.



HECTORI BENEDICO  
S P R D  
D. JOHANNES FLORENS  
RIANIUS  
P.P. ET AGAD. b.e. RECTOR





**N**on leui incommodo Iurisprudentia nostra afficitur, et fora turbantur, vbi Collegia quibus de iure respondendi potestas est, praecaudiis ac praecconceptis opinionibus locum relinquunt, fidem antecessorum et umbras auitas coeco impetu sequuntur, et ea quae ab iisdem per traducem quasi acceperunt, indubitate iuris esse credunt, quibus tamen saepius, re curatius expensa, leges, quas velut Deos tutelares inuocant, non eam quam probare debent, sed plane alienam, imo contrariam sententiam suppeditant, et vix argumentum, quod vel obtorto collo in praesidium sententiae adoptatae vocari posset, continent. Ut taceam, inaequalem et dissonam interpretandi rationem, vagamque illam, quam quilibet pro suo captu sibi arrogat de iure statuendi licentiam, de qua iam olim conquestus sum, non pauciores generare Collegiorum

\* 2

dissen-

diffensiones ac portenta pugnantium inuicem sententiarum. Quin studium nouitatis et reformati, quod tamen longe ab animis eorum, qui veram non simulatam Iurisprudentiam religioso cultu prosequuntur, abesse debebat, alias variantes et per vicissitudines latae, velut per sortem vrna extractas producere videoas sententias, quibus fata litigantium in multos annos protrahuntur, et cum iactura temporis, crumenae ciuium mirifice emunguntur. Transmissa sunt his diebus ad Ordinem nostrum A&ta Processus alicuius, quae exemplo sunt eorum, quae bona mente, et ex iusto dolore conquestus sum, quaeque ut haec scriberem mouerunt. Acceperat pupillus a Patruo suo mutuum 1500. thalerorum autore tutore, ad soluendum debitum aliquod paternum, dederatque de super chirographum, vtriusque, tutoris et pupilli manu confirmatum, quo expressum erat, quod hi nummi extinguidis passiis fuerint exhibiti. Debitor post adeptam maiorenrem aetatem, infelici fato alienationem mentis passus fuerat, proinde ipsi curator autoritate publica datus; interea vero temporis creditor vita deceperat. Huius filii coram III. Regimine A--C. contra curatorem mouebant actionem anno trigesimo huius seculi petebantque recognitionem instrumenti obligatorii; reus excipiendo vrgebat probationem versionis in rem et utilitatem pupilli factae, prouocando ad L. 3. C. quando ex facto tut. Facultas Iuridica Erfurtina annuebat ipfius petitis et iniungebat actori candem mensē Ianuar. 1731: At interposita ab actore Leuteratione, in primis cum hic ex transactione, inter vtriusque partis patres antea inita, doceret, debitoris patrem se ad solutionem debiti in chirographo nominati obstrinxisse, IC&t  
Ienen-

*Ienenses* Mense Septembris eiusdem anni immunitum eundem ab onere probandi pronunciabant, et in casum praestiti ab eo suppletoriis, quod tamen tantum de presumtione, **dass Kl. nicht anders glaubten und vermutheten** praestandum iudicabant, reum simpliciter condemnabant, compensatis expensis: Vtraque pars hac sententia se grauatam existimabat adeoque remedium suspensi suo utebatur, *ICti Helmstedtenses*, consulti, nec iuramento legali opus esse censabant, sed pure ex chirographo, corrigendo priorem sententiam, condemnatoriam dicebant Mense Febr. 1732: Reus hanc iterum a viribus rei iudicatae Leuterando suspendebat, cuius prosecutione facta, *ICti Halenses* non dubitabant Mense Sept. eiusdem anni ab his discedere et primae omnium, Erfurtensum, quae probatione versionis in rem actorem onerauerat, annuere: Amant alterna Casmenae, Actori displicebant, ideoque Leuterationem intersponebat, et *Scabinatum in Ducatu Mindensi*, ad quem acta transmittebantur, fauorem habebat, quippe reformando, iure postliminii ad iuramentum suppletorium, cuius tamen formulam corrigebat, Mense Iunio 1733 revertebatur: At nondum euaserant partes varios casus et tot discrimina rerum, etenim reus sui officii esse reputabat, in hac Collegiorum varietate ad sacram Leuterationis anchoram denuo configere, idque prosperrimo euentu. Siquidem *Ordo ICtorum in Academia Rintelensi* Februar. anni 1734 actorem a suppletorio arcebat et antea impositam demonstrationem versionis in rem pupilli ab eodem expectabat: Sed improbata horum opinio in Facultate Iuridica Vitembergenfi Iura reddentibus, qui actis ad eam perlatis, litem suppletorio acto-

ris finiendam esse Mense Octobris 1734. arbitrabantur; quibus etiam *Facultas Viadrina*, non obstante rei Leuteratione Mens. Iul. sequentis anni calculum adiciebat: Denique *Ordo noster* arbitria facere, tantosque compонere fluctus, debebat, dum reus, praevia renunciatione remediorum ad summa tribunalia Imperii, ad Oberleuterationis beneficium admissus fuerat; proinde, ne, quod de Camera Spirensi quondam asserebatur, causa perpetuo spiraret, et lis ultra lustrum protracta immortalis efficeretur, eo maiore fiducia confirmandas esse priores sententias ducebat, cum omnes fraudis simulationis ue suspicione cessarent, nec reus aliud praesidium quam quod in negativa quaesierat, haberet. Iucundum erat, singulorum collegiorum rationes dubitandi et decendi legere, motusque varios iudicantium perscrutari. Pommum Eridos videbatur L. 3. C. qu. ex fact. rui. qua multi Doctorum ita conuicti, dixissim fere decepti, ut persuasum habeant, ex mutuo a tute aut curatore nomine pupillorum vel minorum accepto, pupillos vel minores finita tutela vel cura, actione directa non aliter teneri, quam si ab actore probetur pecuniam in utilitatem eorum esse versam. Sed si paulo attentius inspiciamus hunc textum, patebit, non esse sermonem de mutuo a pupillo autoritate tutoris accepto, sed de solo tutoris facto, si rem a se mutuo sumtam in rem minoris verterit, quod tum, ob utilitatem inde perceptam, detur in pupillum utilis personalis actio, quae mens est Imperatoris *Gordiani*, quam etiam in L. 2. de curat. furios. cuius itidem Autor est, exponit. iung. L. 6. pr. ff. de Neg. gest. Corn. v. Eck. princ. Iur. Ciuit. Tit. quand. ex facto rui. th. 3. alias enim, vt rete Iulianus afferit L.

13 ff.

13. ff. de aut. et conf. tut. impuberes tutorē autore omni-  
no obligantur, binc, si mutuam pecuniam acceperint, au-  
toritate tutoris interposita, tenentur; quare et, si non  
debita pecunia his personis soluta sit, interposita tutoris  
autoritas sufficit, ut condicione teneantur multo magis  
si pupillus, in confinio plenae pubertatis constitutus, ipse  
mutuum contrahat et creditori chirographum sua ipsius  
et curatoris manu munitum exhibeat, quod moribus  
Germaniae vim guarentigiat et paratam executionem  
habet, omnesque turbidas exceptiones respuit. Egre-  
gie huc faciunt verba L.9. §.6. ff. de aut. et conf. tut. etiam si  
non exaudiat tutoris autoritatem is qui cum pupillo con-  
trahit, scriptis tamen hoc approberur, recte negotium  
geritur: veluti si absenti pupillo per epistolam vendam  
aliquid aut locem, et is tutoris autoritate consentiat.  
Igitur fidem et vim executiuam denegare velle chiro-  
grapho tali, iniquum foret, nec facile inueniretur, qui  
nummos minori crederet, eiusdemque necessitatibus aut vti-  
litati subueniret, si tam difficilem probationem fuscipe-  
re necesse haberet. Sed satis de hoc. Exponendum  
etenim est consilium quod ceperunt Nobilissimi qui-  
dam Iuuenes, de instituendis mutuis consuetibus publi-  
cis in auditorio ICtorum ad singulos Pandectarum Li-  
bros, a Ludouico descriptos, a Libro I. vsque ad librum  
IX. Sunt illi

N. CHRISTIANVS LUDOVICVS SAVL,  
Gothan.

DN. IOHANNES GOTTLIEB SCHNORR,  
Schneeb.

DN.



DN. CAROLVS FRIDERICVS SEGNIZ,  
Schenkenberg Misn.

DN. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS  
STRVNZE, Loefn. Misn.

DN. IOHANNES FRIDERICVS HOKEL,  
Dresd.

DN. GOTTLLOB CAROLVS TAVNER,  
Neohuf. Misn.

DN. CHRISTIANVS GOTTLIEB SIMON,  
Freyberg. Misn.

DN. IOHANNES CHRISTIANVS HAER-  
TEL, Lips.

DN. IOHANNES ADAMVS FLORIANVS  
POPPE, Martisburg.

Vt igitur Generosiss. et Nobiliss. Ciues nostri, praecipue  
illi, qui iurisprudentiae incumbunt, eorum disputationi-  
bus, quae pro valuis publicis indicentur, frequentes ad-  
sist, omni qua par ~~est~~ <sup>ad</sup> humanitatem contendimus.

D. D. Lipsiae Dominica Oculi A. S. R.

MDCXXXVI.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DI. IOHANNES GOTTLIEB SCHNORR

DM



Leipzig, Diss., 1736

ULB Halle  
004 824 970

3



f

TA → OL nur 1 Stück a





B.I.G.

1736, 18.

CTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
JOHANNES FLORENS  
RIVINVS  
P. P. ET ACAD. p. t. RECTOR.

Le 8. Sept.